




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-493677-p0001-1

DFG















DE  
**SPIRITV VINI**  
AC  
**ALTO BOERHAAVII ALEMBICO**

PRO PRIVILEGIIS  
ET  
**GRADV DOCTORIS MEDICINAE**

SOLEMNI RITV CONSEQVENDIS  
PVBLCIE DISPVTABIT

**IOANNES ALEXANDER HEVELIUS**  
GEDANENSIS.

---

HALAE SALANAЕ DIE XV. SEPT. A. N. C. MDCC LIX.

---

LITTERIS CVRTIANIS.

DE

# SPIRITA VINI

VE

## ALTO BOERHAAIJ ALLEMICO

PRO PRIVILEGIIS

RECEPISSE ET DEDICATIS

ET

## GRVDA DOCTORIS MEDICINAE

ZOTEMMI RITA CONSTITUTUS

EXACTICE PRACTICABILIT

## JOANNES ALEXANDER HERFELIA

DETINENS

---

HALM SCAFANAE Dicitur, caput, V. M. C. MDCCXII.

---

LITTERIS GALLATIENSIB

PERILLVSTRI DOMINO

DOMINO

RESTATVATORI

G E R A R D O

S. R. I. LIBERO BARONI

VAN SWIETEN

AVGVSTISSIMO IMPERATORI ET IMPERATRICI  
A CONSILIIS, ARCHIATRORVM COMITI, BIBLIOTHECAE  
AVGVSTAE PRAEFECTO, INCLYT. FACVLT. MEDIC.  
VIENN. PRAESIDI PERPETVO; NEC NON ACADEMIARVM,  
CAESAR. NAT. CVRIOSOR. ET REG. SCIENTIAR. ET CHIRVRG.  
PARIS. ITEMQVE INSTITVTI BONONIENS. ET LITTER.

INCognitorvm sodali celeberrimo,



LVMINI MEDICORVM SPLENDIDISSIMO,

ARTIS SALVTARIS

RESTA V R A T O R I

O D A Y D E G  
IMMORTALIS MEMORIAE,

MVSARVM DELICIO

S E L I B R E O B R O N I

A C

TUTORI INDVL GENTISSIMO,

HASCE

PRIMITIAS ACADEMICAS

A CONSELLIS ARCHIATRONUM COMITI, BIBLIOTHECIS

DEVOTISSIMI CULTVS ACAD. MEDIC

PUBLICVM DOCUMENTVM

SACRAS VOLVIT

AVTOR INCOCGNITORVM

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

# PERILLVSTRIS DOMINE!

semper te laudes dicere. Quo tempore illis medicinae  
venerabimur? Atque hoc quod dicitur, etiam si illis medicinae  
venerabimur, non poterit nos invenire. Hoc enim coniunctio est in gressu cor-  
respondentia. Non enim solum in gressu, sed etiam in coniunctio  
correspondit. Non enim solum in gressu, sed etiam in coniunctio  
correspondit. Non enim solum in gressu, sed etiam in coniunctio  
correspondit. Non enim solum in gressu, sed etiam in coniunctio  
correspondit. Non enim solum in gressu, sed etiam in coniunctio  
correspondit. Non enim solum in gressu, sed etiam in coniunctio  
correspondit.



Cum per quatuor, et quod excurrit, annos me-  
dicinae sapientum scholis interessem assidue, et  
ad Magni BOERHAAVII solidissima scripta, tan-  
quam ad lydium lapidem, quaecunque audirem atque legerem  
perpetuo reuocarem, profectus iucundissimos maximam quidem

obcas

A 3

partem

partem ex uberrimis illis BOERHAAVIANIS fontibus ad me  
deriuatos esse, subsentire cooperam. Quo facto, ille Medicinae  
Antistes me ita allexit, ut oraculis Eiusdem consulendis in dies con-  
ciration alacriorque approposarem, iisque me totum fere consecrarem.  
Inter haec, si qua alia, maxime sublimes Aphorismos Hippocratis nostri  
aeui de cognoscendis et curandis morbis accedebam. At, quam pauca  
ex concentratis hisce effatis mihi quidem in medicina tyroni ca-  
pere licuisset, si te interprete, solidissimisque per totum eru-  
ditum orbem lucentibus COMMENTARIIS caruissim TVIS,  
sum mihi ipse testis. Quare testaturus de coticulae illius a me ad-  
hibitae pretio; cum tentarem, an humeri ferrent saltem in Che-  
mia Magni BOERHAAVII praecepta rueri: protinus vi-  
debam, me non posse sine magno conscientiae damno, ali⁹ potius,  
quam TIBI, PRINCEPS MEDICORVM! istam manci-  
pare schedulam. Terrebat autem dignitatis TVAE splendor, et  
exiguum te contrario specimen meum, BOERHAAVIO vindi-  
cando

bestiorum

T A

cando

cando plane indignum. Interea sacra ancora, singularis indulgentia T V A, qua non solum illos, qui de Republica Medicorum bene meriti sunt, verum illos quoque, qui de eadem bene mereri conantur, amplecteris, trementem solabatur. Respicias igitur,  
**PERILLVSTRIS DOMINE!** placido vultu hocce qualemque munusculum meum, quo vindicias **BOERHAAVII** TIBI deuouere ausus, meaque erga TE, **PATRIS MEDICORVM** dignissimum vindicem, obseruantiae pietatisque primas lineas ducere molitus sum; tolerabilius esse arbitratus, moliminis audacia, quam insiti ingenui cultus neglectu peccare. Denique supplici voce Deum rogo, ut TE in incrementum atque tutelam artis salutaris fartum rectumque conseruet diutissime, quo medicum orbem porro erudire, atque promissa, ardentissimeque tor viris exoptata **O P E R A** T V A ulterius persequi possis. Ita in posterum, si doctrina T V A me beari Deo placuerit, nunquam desinam diligent scriptorum **T V O R V M** lectione lectorumque repetitione, ingenui discipuli T V I  
gloriam

gloriam venari. Eo enim nihil sane praestantius, nihil acceptius  
contingere poterit mihi, quem semper habebis

## NOMINIS TVI PERILLVSTRIS

halae ad salam die XIV. Sept. MDCLIX.

Hoc in meum pectus possum quodcumque autem  
MDCLIX.

deuotissimum cultorem

I. A. HEVELIUM.

## PROOEMIVM.

**Q**uum inter otia academica iam eo anniterer, ut inaugurale quoddam Specimen, pro consequen-  
dis supremis in arte salutari honoribus, elaborarem;  
opportunitate Laboratorii fauente, e re esse ducebam,  
si chemicam materiam mibi pro themate proponerem.  
Haud ignarus, quam singularibus p̄ae aliis metallis  
ad corpus humanum martialia gaudent dotibus, fa-  
cile ex reliquis incideram in praeparatorum martia-  
lium tum emendationem, tum quoque ulteriore inue-  
stigationem. Ut enim mercurium excipiam, ceu qui  
fluiditate sua singulari atque mira diuisibilitate ex or-  
dine reliquorum metallorum solidorum plane est segre-  
gandus, si tantummodo antimonii, hactenus ad usum  
salutarem p̄ae ceteris metallis copiosius adhibi-  
ti, mentionem faciam, dissimulari nequit, ipsi satis  
virulentam et naturae humanae inimicam inhaerere  
virtutem. E contrario martialia nunquam plane ve-

B

nenatam

*nenatam eiusmodi indolem exserunt, sed reliquis omnibus metallis longe blandiora deprehenduntur. Elegantissime hanc veritatem exprimit Perillustris L. Baro G. van SWIETEN, in Commentariis ad H. BOER-HAAVE Aphorismos de cognoscendis et curandis morbis, Tom. I. §. 28. sub finem n. 4. p. 37. Ferum, *inquiens*, non tantum vi austera adstrigente agit, sed sulphuris sui metallici, naturae humanae adeo amici, miro stimulo vires vitae incitat. Quibus probe perpensis, cuius sua sponte liquet sequens axioma: Omnia medicamenta cum metallis praeparata, si per reliqua licet, ex marte potius, quam ex ullo alio metallo esse desumenda. Elaborauit igitur in id potissimum, ut eiusmodi medicamentorum species, (sicuti, exempli gratia, inter alia sunt Tincturae alcalicae cum antimonio ordinarie praeparae,) quae ex aliis metallis elaborantur, ex martis sinu deducerem. Cumque iam multum desudasssem in his laboribus, et valetudine aduersa, et belli turbis inter-*

interceptus, Fautorum et amicorum consilio iam id agere persuadebar, vt ad iter properarem, sanitati labanti meae consulerem, et belli turbas, anxietates, curas, quam citissime possem, effugerem. Factum est inde, vt saltem observationes has de Spiritu vini eiusdemque instrumento destillatorio, scilicet alto Boerhaavii alembico, occasione Tincturarum martialium alcalicarum natas, colligerem, breuissime omnia expedirem, ac reliqua de martialibus copiose capta experimenta in aliud tempus, si Deus vitam, vires sanitatemque concedet, omnino differrem. Quid autem in hoc themate, de Spiritu vini ac alto Boerhaavii alembico, meum praecipue fecerim, paucis docebit Conspectus in frontispicio Dissertationis positus. Antequam vero praemitendis hinc finem faciam, gratum animum testari ne obliuiscar cum ingratis, strictim expediam officia erga nonnullos in Salana nostra de me plurimum meritos Fautores atque Patronos, nunquam satis depraedandos atque colendos. Nullo enim tempore immemor

B 2

esse

esse debebo *Viri Illustris*, ANDR. EL. BÜCHNERI,  
omni praeconio meo atque laude longe superioris. Vte-  
bar per ultima quinque semestria eius hospitio, mibi  
in honorem per omnem vitam nunquam satis collaudan-  
do, eiusdemque summi *Viri consiliis*, quavis oblata  
opportunitate, mox ratione belli vicisitudinum, mox  
alia vice alia ratione officiosissimis candidissimisque.  
*Quin imo ad Bibliothecam ipsam*, Medicorum nostrarum  
tium facile palmariam, liber mibi semper patebat ac-  
cessus. *Quorum omnium commemorasse saltem sufficiat*,  
gratiis ori reseruatis obstrictissimis. Neque demini-  
nisse decet, quantum debeam Viro soliditate, et huma-  
nitate splendidissimo, Illustri I. A. de SEGNER, Pro-  
fess. Physices atque Matheos primario. *Huic enim*  
*Physicam saniorem*, sepositis variis deviationibus praec-  
conceptis ex aliis, vnicce debo. Neque longius debito  
commemorari licet cursus mathematici, quem eo Doctore  
ac lumine per biennium olim repetii tanto maiore cum  
laetitia, quanto magis tum noua, tum emendata, ubi-  
que

que autem solidissima addiscere me videbam ius, quae antebac solertissime ex cursu mathematico Celeberr. D. KÜHNII, Mathem. Prof. Publ. in illustri Athenaeo Gedanensi attuleram. Nuperrime autem per biennium et amplius devinctissimum me sibi fecit Experientiss. D. C. F. DANIEL, Phys. Halae Salanae longe celeberrimus. Huius enim praxeos amplissimae magnam partem, sub amicitia veneranda, ultra biennium sustinui iucundissime, cum multiplici profectuum praticorum incremento, ex manuductione illa ad lectum aegroti specialissima, qua frui ex tot reliquis, soli mihi abunde licuit, non secus ac Fautor meus colendus, de simili fortuna rariori per decennium et ultra apud Machaonem nostrum Halensem, Magnum Hoffmannum, gloriari nunquam non gratissimo animo solet. De reliquo me, et qualemcumque hanc meam opellam, Tuo, Lector beneolle, fauori quam humanissime commendo.



\*\*\*\*\*

### CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- α. Sistitur spiritus vini per alembicum alcum destillatus, et quidem,
  - §. I. Redificatio et methodus nostra strictim attingitur.
  - §. II. - IX. Examina spiritus vini ratione aquae, olei, et acidi, peregrinorum, etc.
  - §. X. Singularia quaedam circa spiritum vini perfecte purum proponuntur.
- β. Alembicus altus BOERHAAVII consideratur atque
  - §. XI. Vindiciae eiusdem exhibentur, simulque
  - §. XII. - XIV. Theoria alembici huius ex principiis physico-chemicalis constituitur, et
  - §. XV. - XVI. ex iisdem, praerogatiis suis prae aliis instrumentis destillatoriis conspicuus redditur.
  - §. XVII. Dubium speciosum Celeberr. BRENDELII experditur, ac nonnulla de theoria destillationis et vaporum differuntur.
  - §. XVIII. Nostra qualiscunque emendatio in alembico, quem nobis parare curauimus, cum commodis inde obtentis, adducitur.

DIS-

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
DE  
**SPIRITV VINI**  
AC  
**ALTO BOERHAAVII ALEMBICO,**

SECTIO I.  
DE  
**SPIRITV VINI.**

§. I.

*Qua ratione Spiritum vini nostrum rectificauerimus?*

**S**umsimus Spiritus vini vulgo venalis optimi (*Vorsprang*), et aquae fluuiatilis limpidissimae partes aequales; haec probe mista, et conquassata, per diem noctemque reposuimus; conquassatione ope rudiculae ligneae \*) subinde repetita.

Vesicae

\*) Vilissimum hoc et utilissimum instrumentum domesticum, quin usui chemico saepius accommodatissimum, in patria, imo variis aliis in locis vel plane ignoratur, vel laboriose nimis comparatur,

lignis

Vesicae superimposito alembico alto Boerhaauii, ex Maris Balneo destillauimus, donec per se fisteretur destillatio. Remanebat phlegmia lacteum proximo §. II. vltterius examinandum.

Proinde repetiimus eundem hunc laborem cum Spiritu vini ita prolecto tertia vice, vsque dum Spiritus vini transiens aquam in vesica relinquere limpidissimam, omni ingrato odore atque sapore destitutam; vel plane insipidam, si paucam Spiritus vini quantitatem exceperis, quae ab aqua, in vesica residua, sine omni iactura, nunquam potest expelli.

*Indigo albus soliv inv aliud etiam*  
*lignis ad id operose exputatis atque adunitis. Hic loci vero*  
*primum vidi, qua ratione idem sine omnibus hisce ambagibus*  
*ex naturae promptuario desunt. Nimirum decerpunt ramum*  
*paulo minorem Pini nostri sylvestris ad illum locum, vbi ram*  
*alii, prioribus adhuc minores, orbiculatum concurrunt. Qui-*  
*bis omnibus decenter decurtatis, corticibusque derasis, dein ad-*  
*fundunt fortissimum lixiuum alcalicum, cumque eodem per ali-*  
*quot horas decoquunt, donec omne resinosum pini ab alcali*  
*solutum, et ablatur inueniant. Quo facto, aqua edulcoratum,*  
*purum inodorum, insipidum et nitidum instrumentum usui ex-*  
*hibent, atque vendunt; adeo ut si nescirem, verear ne nimium*  
*deicerer in pini vulgari ligno noscendo.*

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 17

Et ob hanc modo dictam iacturam, sub qua-  
uis noua destillatione pauxillum Spiritus vini,  
iam quodammodo rectificati, addendum erat.  
Ultima vero Spiritus vini huius destillatio, sine  
addita noua portione, eaque cum aqua destillata  
perficiebatur.

Eiusmodi Spiritus vini quantitatem elabo-  
rauimus tantam, quanta vesicae nostrae ad duas  
tertias replendae esset satis: coeterisque manen-  
tibus ut ante, lentissimo igne iterum destillaui-  
mus. Duas priores vñcias Spiritus vini transeun-  
tis separauimus, solliciti cum Boerhaauio, ne vasis,  
ex destillatione antecedente, adhuc aliquid phle-  
gmatis adhaereret. Atque nunc prodeuntem  
Spiritum vini excepimus, recipientis mutatione  
continuo iterata, quando circiter libra vna trans-  
ierat. Pars prior dimidia, quae ex hac destilla-  
tione obtinebatur, exhibebat nobis Spiritum vi-  
ni, quem in tota hac Dissertatione nostrum esse,  
quaeso intelligas.

C

§. II.

§. II.

*Examen phlegmatis notari §. I.*

Albidum illud, lactescens phlegma, 1) odorem exhibebat foetidum, saporem ingratum empyreumaticum. Affundo ipsi syrupum violarum, atque video 2) coeruleum colorem mutari in rubellum. Conf. celeberr. VOGELII Institut. Chemiae, Goett. 1755. vel rec. edit. L. B. et Lips. 1757. §. 386. BOERHAAVIVS in Elem. Chem. L. B. 1732. Proc. XLVII. n. 3.

§. III.

*Oleum ergo empyreumaticum omne, una cum acido peregrino, deturauimus.*

Proinde processu nostro Spiritum vini ab oleo (§. II. n. 1.), et acido (§. II. n. 2.) peregrino liberauimus. BOERHAAVE l.c. in vsu n. 1; idque quidem omnino, cum aqua ultimato relicta purissima erat (§. I.).

§. IV.

*Examen Spiritus vini varione aquae adhaerentis.*

Noster Spiritus vini super sal tartari siccissimum, iuxta extremum rigorem accuratissimi

BOER-

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 19

BOERHAAVII (videantur eius El. Chem. L. B. 1732. Processu XLVIII. sub finem) calefactus et conquassatus, illud sine vlo humectationis signo perfecte siccum reliquit.

§. V. b. 117. 118. 119.

*Boerhaauio idem non succedit; quid videatur caufae?*

Candidus BOERHAAVIVS loco modo citato n. 2. et sub vſu n. 4. nondissimulat, ſe nunquam potuisse hac via obtinere alcohol ſincerum ſine omni aqua; interim eſſe quam minimum, quod aquae relinquitur in hoc opere. Cuius rei, ſi quidem, venia ſummi Viri, subsentire quid mihi inſumam, id cauſae ſubfuſſe crediderim, quod nimium ignis gradum, ſcilicet aquae ebullientis, in deſtillatione adhibuerit. Atque huic opinioni summam probabilitatem alluit locus BOERHAAVII in citati n. 2. initio: „Constructum fuit furni genus, „vbi balneo aquae, non potentis incalēſcere vltitra 214 gradus, ahenum deſtillatorium aquae imponitur.“ Ex quo iam patet, calorem aquae ebullientis a BOERHAAVIO adhibitum fuſſe, idque

G 2

eo

eo magis ex sequentibus colligitur. Nimirum gradus ebullitionis iuxta FAHRENHEITIVM est 212° in Thermometro, sub altitudine Barometri media confecto. (Videatur BOERHAAVII Chemia parte I. exper. VII. de igne, p. m. 174. et, qui rationem rei pressius exponit, Illustris de SEGNER §. 332. der Einleitung in die Naturlehre, Goett. 1754.) Gradus enim congelationis a FAHRENHEITIO notatur num. 32, qui suo quidem tempore putauerat gradum suum, zyphra o notatum, exprimere tale frigus, quo maius natura sibi relicta nunquam producere posset. Iam vero gradus 214 a BOERHAAVIO notatus, est ille, ultra quem, si vel summa fuerit Barometri altitudo, ebulliens aqua incalescere non potest. Cum ergo summum limitem graduum ebullientis aquae posuerit, opido patet, vel ad hunc quoque gradum in negotio destillationis calculum suum posuisse BOERHAAVIVM, adeoque ebullitionis gradum ipsi in destillatione familiarem fuisse. Verum dictum fuit §. I. nos ultimam in primis destillationem mitis-

mitissimo igne instituisse. Conferri meretur  
Celeb. MANGOLD, in fortgesetzten Chymischen Er-  
fahrungen und Vortheilen. Fr. und Leipz. 1749. p. 36.

§. VI.

*Examen Spiritus vini ratione olei empyreumatici.*

Spiritus vini aqua dilutus, neque frigidus,  
neque calefactus vñquam lactescet; igni admo-  
tus, vt parca Spiritus vini quantitas aufugeret,  
aqua remanebat insipida, limpida, prorsus vti  
§. I. dictum fuit. Ore assumptus Spiritus vini aqua  
dilutus, nullo modo sensibilem empyreumaticum  
saporem prodebat.

§. VII.

*Examen Spiritus vini ratione acidi larenitis.*

Miscuimus pauxillo Spiritus vini tantillum  
syrupi violarum, mixtum ad ignem calefecimus,  
sine vlla coloris ad rubedinem declinatione. Coe-  
rulei enim mutatio nulla plane obseruari poterat.  
Idem fecimus cum Spiritu salis ammoniaci alca-  
lico volatili, sine vlla obseruabili efferuescentia;

C 3

potius

potius, vti solempne est, subitanum oriebatur coagulum.

§. VIII.

*Praedicata Spiritus vini nostri deducuntur ex modo adductis.*

Ex dictis patet: Spiritum vini nostrum rigorosissimo examine sustinere praedicata, ceu qui purissimus est, nullis omnino, salua Spiritus vini substantia, separabilibus partibus aquae (§. IV.), vel olei (§. III. et VI.), vel acidi (§. III. et VII.) inquinatus.

§. IX.

*Nonnulla circa examina cum Spiritu vini instituta.*

Diximus §. anteced. de partibus salua Spiritus vini substantia inseparabilibus, atque eo ipso respeximus ad analysin Spiritus vini perflammam viuidam. Scimus enim, ita ex Spiritu vini adhuc copiosissimam aquae quantitatem educi quidem, neutquam vero separari posse. Atque sustinemus, hanc aquae quantitatem ad Spiritus vini mixtionem pertinere, seu de essentia ipsius esse.

Coete-

Coeterum ex cognita §. I. Spiritus vini elaboratione iam satis luculenter intellectum dedimus (§. III.), nullum omnino oleum et acidum heterogeneum mansisse in Spiritu vini. Idem vero Experimentis §. VI. et VII. ideo tantum de nouo probatum fecimus, vt Spiritus vini nostri, vel dati cuiuscunque examen, sine omni respectu ad Spiritus vini elaborationem, proponeretur completum atque independens. Insuper adhuc monemus circa Spiritus vini, ratione olei empyreumatici, examen per gustum, quod hunc sensum admodum magni faciamus in hoc passu. Gustus enim exquisite sensibilis deprehenditur ad demonstrandam absentiam ingrati et valde sapidi. Praeprimis vero vbi aqua dilutus est Spiritus vini, adeoque vrens sapor ipsius infringitur, empyreuma ocyssime se prodit. Quin obseruauit, nonnunquam gustu aliquid adhuc empyreumatis detegi potuisse, vbi alias aqua, a Spiritu vini relictā, videbatur satis limpida, neutquam lactescens, oculisque plenariam empyreumatis absentiam

impo-

imponebat. Inde vero facillima habetur methodus, aquas vitae generosas et saccharo ad gratiam redactas, internoscendi. Quando enim aqua diluuntur, dulcedo infringitur, et oleum empyreumaticum emergit; atque sic pessimus non-nunquam sese detexit sapor aquae vitae, quae antea videbatur nobilissima. Notabunt sibi hanc encheires in potatores, quibus Spiritus vini tantum damni neutiquam inferret, modo non ingentem illam olei empyreumatici quantitatem imbiberen vna cum benigniori alias spiritu ipso.

### §. X.

*De Spiritu vini rectificatissimo ad canthum oculi insensibili, aliis que eius dotibus singularibus.*

Narrat quidam experientissimus alias Chemicus de Spiritu vini rectificatissimo, qui in canthum oculi immissus nullum plane ardoris sensum ediderit, idemque in fistulam ani iniectus, sine omni dolore, et optimo cum successu adhibitus fuerit; ita, ut ob singularem usum quidam celebris vir provincia dimidia imperialem unum cum octo grossis soluerit. At

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 25

At fidei nostrae non est dissimulare, quod talem Spiritum vini rectificatissimum descripta via haec tenus non obtinuerimus. Illud tamen de nostro, ceu singulare quid, annotare possumus, quod semel illum ita dulcem obtinuerimus, ut, quanquam omnis phlegmatis expers, linguae tamen imprimaret gratum admodum saporem, ita ut audaces facti, uno haustu drachmas duas assumenterimus. Nullum patiebamur vehementem aestum, calor manebat moderatus, somnus placidissimus, sudor largior, temperato interea manente sanguinis motu intestino. Et si similem statum refocillationis meminerim, haud alienus erat ab illo, quem olim in patria percepi, quando versus noctem aliquot haustus vini Hungarici nobilissimi, quod *Passum* vocant seu *Essentiam vini*, assumenteram.



D

SECTIO

SECTIO II.  
ALTO BOERHAAVII ALEMBICO.

§. XI.

*Vindiciae alembici alti Boerhaavii §. I. adhibiti.*

**O**lim ex cucurbita vitrea capaci, quam quidem haberi poterat alta, destillauimus, omnemque patientiam nostram in igne mitissimo conseruando, suasu summorum virorum, I. G. BRENDELII in Progr. de nonnullis dubiis circa instrumenta quaedam chemica BOERHAAVIANA, Goettingae 1747. §. VI. c. NEVMANNI in der medicinischen Chymie, Tom. II. Edit. Züllichau. 1756. p. III. R. A. VOGELII, in Institut. Chemiae superius citatis §. 392. penitus consumsimus. Cum vero, temporis penuria coacti, ipsimet experiri constituissimus, quid valeret altus ille a BOERHAAVIO (in Elem. Chemiae T. II. L. B. 1732. Proc. XLVII. n. 2. p. 198.) tantis laudibus ornatus alembicus

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 27

bicus, dicere non possumus, quantam laboris, temporis, spiritus vini, sumtuumque rationem obseruare licuerit, quin etiam eiusdem apparatus beneficio destillationem Spiritus vini confidere potuimus aliis, vel non adeo in negotio hoc peritis et attentis, nec anxie eidem ipsimet interesse cogebamur amplius. Non iam id agemus, ut rationes, quibus utilissimus hic apparatus chemicus expugnatur, ex instituto subuertamus, potius primo omnium indicabimus, quam nobis cum nonnullis aliis egregiis viris, non videantur quidem, sed per experientiam redditas manifesta. Certe enim persuasi sumus, causam instrumenti huius, non rationes, sed melius quidem copiam eorum tueri posse, qui, experientia sua edocti, id ipsum pristinae famae aliquando restituent. Cui bono nominabimus primo loco illustr. I. A. de SEGNER, quem nostrum esse gratulamur Praeceptorem in physicis atque mathematicis longe fidelissimum. Nimirum *Tanti Viri* colloquio id debemus vnicce, ut in praeiudi-

ciis de hoc instrumento, ex lectione librorum conceptis, non acquieuerimus penitus. Ipse enim diu et utilissime instrumento hoc usus erat, atque sua experientia laudes ipsius canere olim didicerat. Accedunt, celeb. c. A. MANGOLDI *Vortgesetzte chymische Erfahrungen und Vortheile.* Erf. 1749. p. 36. nec non LVDÖLFFI *Einleitung in die Chymie.* Erfurth 1758. p. 93. Quibus adhuc ex recentioribus ingenue adnumerat celeberr. VOGELIVS, loco modo citato, MODELIVM, in *Commercio litt.* Nor. anno 1742. p. 199. et Parisinos in *Codice medicamentario* p. 207. qui posteriores etiam tubo alto, verum in gyros contorto, usi sunt.

### §. XII.

*Ad aduersarios.*

Instituti quidem nostri, uti §. II. diximus, non est agere refutatores, quin potius, *Tantos Viros* veneratione ut colamus satis vix nisi amore assequimur. Veniam tamen obtinere speramus, si paucissimis circa causam BOERHAAVII versabimur modo defensue, satis esse arbitrati, veritatem

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 29

tem ipsam corroborare et clariorem reddere,  
quam circa obiectiones vnicē occupati taedium  
creare.

§. XIII.

*Principia pro ferendo iudicio circa instrumenta destillatoria.*

1) Aqua, vel lenissimo igni admota, siue pura, siue Spiritu vini praegnans, nunquam non emittit vapores.

2) Eodem modo res se habet cum Spiritu vini, hac tamen cum distinctione: vapores spiritus vini mitiore igne copiosiores adscendunt; nunquam vero soli, si phlegmaticus fuerit spiritus, igne licet adhibito lenissimo quoconque.

3) Aquae vapores grauiores leuioribus Spiritus vini subsident. Oleum empyreumaticum peregrinum, Spiritum vini deturpans, cum aquae vaporibus, quibus adhaeret, vna inferiora occupat. Idem valet de acido Spiritus vini peregrino. Conf. Illustr. de SEGNER *Einleitung in die Naturlehre*. Goetting. 1754. §. 699.

D 3

4) Ast,

4) Ast, aquae vapores, caeteris paribus, citius iterum in guttas condensantur, vt relabantur in cauum vesicae, quandoquidem allidunt latera mifus calida tubi, in quem adscendere coguntur.

§. XIV.

*Ex quibus per modum corollarii haec fluunt axiomata.*

1) Quo mitior ergo fuerit ignis gradus, eo minor quoque relativie erit vaporum aquae adscendentis copia (§. XIII. n. 1. et 2.), eoque maior relativie erit copia vaporum Spiritus vini adscendentium. Atque eatenus res est vna eademque, siue instrumentum destillatorium altum, siue humile quodcunque adhibueris. Verum,

2) quo altius est instrumentum, eo longior rem opportunitatem exhibit aqueis, ceterisque vaporibus citius condensabilibus ad latera tubi alti alembici; et contra (§. XIII. n. 4.). Quin,

3) quo tubus est altior, eo magis fauet actioni grauitatis specificae (§. XIII. n. 3.), pro separatione vaporum spirituorum ab aquosis, oleosis, acidisque peregrinis, & contra.

4) Quo

4) Quo altior est tubus, eo minus metuendus est paulo maior ignis gradus (§. XIII. n. 4.); quia, si quam minimum aquae respicere opus non sit, in gradu ebullitionis aquae destillare licet (§. V.).

§. XV.

*Quale iudicium de vasibus humilibus, pro destillatione ferendum sit.*

Per repetitam lentissimam ex humili vase destillationem Spiritus vini phlegmatici, fieri potest, ut ipsi tandem non nisi ea exigua aquae portio inhaereat, cui separandae sub mitissimo igne ex rationibus §. XIII. n. 3. 4. §. XIV. n. 1. et iam humilia ista vasa sufficiunt. Adeoque si temporis, labori, reliquis, non parcatur, vel sic quoque Spiritum vini rectificatissimum elaborare nulla officit absoluta impossibilitas. Quidni dicam impossibile non est, ut rectificatio perficiatur solo apparatu retortae, quae adhuc id commodi habet, ut lutum non requiratur pro alembico, adeoque ibi aufugere nequeat spiritus. Quo ipso tamen, ut obiter moneamus, aduersarii, inuiti

uiti et praeter opinionem largiuntur, vasa altiora  
saltem in tantum vtique esse paeferenda, atque  
neutiquam vnice ignis, sine omni respectu ad al-  
titudinem vasis, rationem habendam esse.

§. XVI.

*Incommoda, ob quae posthaberi debent.*

His vero premuntur difficultatibus:

1) Multum Spiritus vini manet in aqua:  
Nam in humili vase non licet eo vsque expellere  
Spiritum vini, ac quidem in alto, idque ob aquam,  
oleum et acidum peregrinum simul transeuntia  
(§. XIV. n. 2. et 3.).

2) Quum Spiritus vini toties et tamdiu in  
vapores resolutus detineri debet, non potest non  
multa ipsius iactura fieri per luta.

3) In mitissimo illo ignis gradu conseruando  
non solum multum temporis, sed etiam maior  
affiduitas requiritur (§. XIV. n. 4.). Quae incom-  
moda valde insuper augerentur, si Spiritus vini des-  
ideraretur saepius balneatus, vti ille ex §. I. idque  
tanto magis, quo minus laborem hunc aliis  
com-

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 33

committere licet. Atque sic deducta sunt, quae  
a posteriori experti supra §. XII. anticipauimus.

§. XVII.

*Dubium speciosum Celeberr. BRENDELII expenditur, ac noua  
destillationis theoria exhibetur.*

Quae de alembico alto eiusque pretio huc  
poni debuissent, semel atque iterum iam iam sunt  
dicta. Paucissimis ergo expedire liceat vnicum  
tantum dubium, quod quidem aliunde, quam ex  
haec tenus prolati, dilucidandum est; BOERHAA-  
VIVS vero neutquam ignorasse censendus est:  
*Aqueos vapores ad tantam in atmosphaera eniti altitudi-  
nem, vtique multo maiorem, ac vlla arbitraria capitelli  
altitudo, vt ne inde olim collegerit idem cum Cele-  
berr. BRENDELIO l. c. Credemusne illos, sc. aqueos  
vapores, capitelli hoc iter non eluctatueros? Siquidem  
qui potius experientiae, quam solius ratiocinii  
luce videbat, ita falli non poterat.*

Cardo rei vertitur in eo, vt indubitatum red-  
damus veritatem hanc, scilicet, quod aquei va-  
pores in tubo destillatorio omnem aërem exclu-

E dant,

dant, ac dein sola sua elasticitate, sine adminicu-  
lo aëris, alembicum soli transcendent. Sic enim  
facile euictum dabimus, caussas agentes in tubo  
destillatorio ab illis, quae quidem in atmosphae-  
ra agunt, toto coelo differre. Nitimur autem  
experimento, cuius historiam illibatam et ab  
his separatam, infra sub asterisco \*) dabimus.  
Quum ergo ex adducto experimento euidenter  
patescat, aqueos vapores perfectum ab aëre va-  
cuum

\*) Illustr. de SEGNER in Collegio physico experimentum insti-  
tuit, quod ipse nuper eodem cum successu repetii, sequens:  
Nimirum retorta vitrea exigua, aqua repletur ad dimidium,  
orificium colli in aquam demittitur, carbones candentes admou-  
entur, ut aqua in retorta valide ebulliat. Tunc exeunt primo  
bullulae aëreae, dein vapores aquei paucioribus bullulis aëreis  
remixti, denique succedunt vapores mere aquei, qui sibilo strepitu,  
a bullulis diuerso, facile discernuntur. Aqua in retorta fere con-  
sumta, amouentur carbones. Refrigeratione succedente, dum  
interea orificium retortae continuo sub aqua detinetur, aqua in-  
trat collum retortae, eamque sensim sensimque integrum exacte  
replet, ut ne tantillum aëris in illa contineatur; manifesto indi-  
cio, quod vapores aquei omnem aërem expellant et perfectum  
ab aëre vacuum relinquant.

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 35

cuum exhibere; nullus dubito, quin omnes simul ex eodem experimento intelligent, quod, absente sic aëre, necessario sequatur, aqueos vapores sola sua elasticitate \*), sine vlo adminiculo aëris, atque solos transcendisse.

E z

Qui-

\* ) Eadem enim elasticitate sua, nequaquam ab aëre mutuata, fortissima alias vas a clausa disrumpere, maximasque mechanicas machinas ad motum cire valent, soli quidem aquei vapores ab igne excitati. Horum enim stupendam plane vim (utpote quae longe major est, ac vis elateris aërei, quin etiam in experimentis longe maior deprehenditur, ac ipsa vis elastica vaporum nitri, detonatione pulueris pyrii e. g. liberatorum,) largissime nos docent machinae hydraulicae, *Londini, Viennae Austriae*, itemque *Regioni Hungariae* soli huic principio motus superstructae. Instar omnium de hoc seculi nostri inuenio citandus est *Celeberr. WEIDLERVS, de machinis hydraulicis, toto terrarum orbe maximis, Marlyensi et Londinenſi*, p. 56. Quanquam interim Celeberr. Autor in fine Praefationis et passim aliis locis existimet, aërem, calore vehementer expansum, causam motus praecipuam confituisse, nihilominus contrarium vel ex allato antea experimento iam satis liquet. Portio autem aëris, qui ibidem sub embolo una cum vaporibus expanditur, et duas tertias partes aheni constituit, praeter pauxillum illud aëris, quod sub ebullitione ex aqua liberatur, per-

parum

His ita in aprico positis, ad diuersitatem caussarum ascensus vaporum in atmosphaera ostendendam nos iam accingimus. In atmosphaera enim aquei vapores aëri immixti haerent atque dispersi, inde se ipsos attrahere, tandemque ad contactum atque guttas reducere tam facile non possunt, vt dein, pondere suo adauerto, cohaesione aëris rumpere, iterumque in terram recidere possint. Quantum enim in hoc negotio cohaesio aëris, ceu fluidi, valeat, experientia nos docet, dum minimas particulas mercurii, quin ferri, aliorumque corporum maioris grauitatis specificae, ipsis aquae innatare posse obseruamus. Quin videmus idem tale phaenomenon cohaesione in decoctis aquosis puluerulentorum. Exemplo mihi id ipsum intueri licuit in decocto antimonii subtilissime puluerisati, quod, nigricans et turbidum, vix post triduum plenarie desit puluisculum

parum adiumenti affert. Quem in finem meminisse conuenit, calorem aquae ebullientis aërem tantum ad tertiam molis suae partem expandere. Histoire de l'Acad. Royale des Sc. 1699. p. 101.

uisculum antimonii deponere. Quis autem necit, quantopere mercurius, mars, et antimonium, alias grauitatem specificam aquae exsuurent, et quare non citius fundum petiit antimonium? Quid? quod, videmusne quotidie, in ipso aëre diu haerere atomos, antequam in terram reduces fiant? Longe vero alia res est in tubo destillatorio, vbi aquei vapores soli, aëre antea excluso, immedie sibi inuicem adiacent, mitissima refrigeratione, a tubo destillatorio inducta, elasticitate sua, seu vi repellente, rursum priuantur, ac attractione restituta, in forma guttarum iterum relabuntur. Vidi hoc iucundissimo adspectu, dum aliquando eundem metallicum meum tubum ad cucurbitam vitream amplissimam, loco vescae, applicabam, illasque guttas maximam partem aquas esse, vel ex magnitudine illarum concludere poteram.

Praeter vacuum aëreum autem in tubo destillatorio, quod accedit alterum, concernit motum liberi aëris. Motu enim atmosphaerae, aquei

vapores non tantum in illam coeli altitudinem sursum aguntur, verum etiam, quod ad priorem rationem concurrit, in aëre ab inuicem segregantur, vt adeoque in guttas iterum confluere non possint. Atque, vt pace Tantorum Virorum argumenta in contrarium accumulare liceat, qui fieret alias, vt in aëre liberiori solida, certe ad Solis calorem maxime fixa corpora, arena ex. gr. puluis variis generis, quin nonnunquam ipsa quoque animalia sursum eleuata legantur. Sane, si nullus ad aëris motum daretur respectus, puluis ex. gr. talis sursum ascenderet nunquam. Saltem nemo hactenus vidit, puluerem ceu puluerem in alem-bicum adscendisse, semper vero in forma vaporis.

Euicta igitur diuersitate caussarum, qua, exemplum datum non quadrare, abunde constat, ad theoriam nostram vterius corroborandam nil opus est, nisi vt obseruationem §. I. adhuc allegemus; vbi, simulac omnis spiritus expulsus est, nullum phlegma sequitur, sed destillatio plane cohibetur. Testantur idem, BOERHAAVIVS l.c.  
et

DE SPIRITU VINI AC ALTO BOERHAAVII ALEMBICO. 39

et LVDOLFFIVS l. c. Defectus aëris, omnisque motus cum iis, quae §. XIII. n. 4. continentur, ad huius phaenomeni rationes concurrunt. Ne dicam, quod alembicus vitreus, alto tali tubo applicatus (vid. infra §. XVIII.), ne minimo quidem halitu aquo obducatur, sed siccissimus persistat.

Insimil autem, ex dictis sub asterisco (\*) de aëre et aqua, liquet, eur in feruidissima (vid. §. V.) destillatione pauxillum aquae nihilominus per facile vna cum Spiritu vini transeat. Scilicet non quidem quod *aquae ascensum non ultra capitelli altitudo coireat*, sed, quia vaporibus Spiritus vini immixti aquei facilius vtique transuehuntur, ac quasi volatilisantur, iuxta regulam, qua constat: si volatilem est minus volatile, addendum esse ipsi volatilius, quod prius amice attrahit. Neque minus patet, illam destillationis theoriam a vera multum recedere, quae affirmat, vapores in aëre per modum solutionis, ab aëre et igne famulante simul factae, eleuari; nec non illam, qua fluidum destillandum censetur grauitate specifica, ab igne, omnia

omnia expandente, ita imminui, ut aëre in cu-  
curbita retento leuius fiat, et ex hac ratione  
alembicum transcendat. Potius ex dictis sole cla-  
rius redditur, vapores aquae (id quod etiam de  
reliquis fluidis experimenta docent,) propria sua  
elasticitate, et vi, qua ab inuicem repelluntur,  
sursum moueri, expleto spatio cucurbitae in  
alembicum ascendere, atque tunc refrigeratione  
iterum condensari.

## §. XVIII.

*Emendatio nostra alembici alti; quidque ea obtinuerimus?*

Liceat nostram qualemcumque emendationem afferre. Tubum altum, seu conum truncatum, quatuor vlnas longum, nobis comparauiimus, quem alias 2 vlnarum circumdabat, paulo infra medium ad alterum ferruminatus. Tubum autem ita compositum per laqueare primae contignationis transire fecimus, eiusque basin, in paumento ipsius, adaptauimus vesicae balneo Maris instructae, apici vero in 2da contignatione constituto

stituto imposuimus alembicum vitreum exiguum, quod semel et in perpetuum ope vesicae bouinae, cum albumine et calce viua, agglutinatur. Huic immediate adaptabatur vitrum recipiens amplissimum. Hinc obtinui,

1) vt transitu tubi per laqueare supersedere possem tubo illo altero, ex apice alembici BOERHAAVII descendente, neque minus tamen in altitudine illa commode applicare amplum vas recipiens, et  
2) vt eo ipso tubis, omniaque connexa firmissimum acquirerent situm; cui

3) accedit, quod maius refrigerium in secunda contignatione impetrauerim, siquidem calor fornacis et vaporum balnei Maris alteram contignationem penetrare nequit, quo ideo magis friget, praesertim si destillatio Spiritus vini fiat hyeme vel nocte.

4) Alembico vitro obtinui, vt effugerem metum LV DOLFFII (in der siegenden Chymie Cap. IV. p. 29.), alias quidem non nisi ex vitio subreptionis ortum, sc. ne Spiritus vini ex stanno detrimentum mercurii sui pateretur, vel rectius quidem, iuxta MANGOLDVM l.c. acido suo peregrino stannum soluat et secum in recipientem deducat.

5) Tubo altero, duas vlnas longo, vtor in refrigerium tubi prioris, qui eodem cingitur, addu-

F

ctus

Etus ad id ratione, ex §. XIII. n. 4. conspicua. Neque me s'pe concepta depulsum esse experior, siquidem, omni opera refrigerii et ignis paulo mitioris adhibita, ex prima statim rectificatione accipio Spir. vini in summo rigore §. IV. perfecte dephlegmatur, quanquam iteratas balneationes, ob maiorem Spiritus vini purificationem et dulcificationem (vt ita dicam) utilissimas, fuscipio.

6) Maximum vero usum refrigeratorium nostrum manifestat in initio; ubi Spiritus vini transit summe volatilis. Affusione enim aquae frigidae sensim paulatimque facta, et detractione aquae in refrigeratorio iam calefactae, destillatio et transitus Spiritus vini moderari potest prorsus ut volueris, ita ut gutta una vix tertio minuto secundo succedit alteri. Quanti autem momenti sit perfecto dominio frui in ignem, norunt experti.

7) Hoc dominio etiam id commodi natus sum, ut, plenaria aquae in refrigeratorio alteratione, destillationem ad tempus plane suffocare potuerim, eoque tempore recipientis mutationem adornare, quae alias in priori BOER HAA VII machina valde difficultis redditur, ex eo, quod, ubi Spiritus vini incipit transire in uno continuo, quasi ex riuulo profluit.

Caeterum beneficio vitrei alembici exigui obseruauit, quod spiritus vini nunquam transeat

in

in striis, semper vero in nebulis, quando copiosius et concitatius alembicum ingreditur, ut hic, praesertim quando spatio exiguo gaudet, ut noster, decenti refrigerio et remorationi impar sit. In vase recipiente autem eodem tempore copiae striae deprehendebantur. Ut adeo ratio non in Spiritus vini transeuntis bonitate, sed in refrigerio et alembici capacitate quaerenda sit. Quia in re consentientem adducere possum Viderum examinis iudiciumque perpensi, Celeberr. MANGOLDVM, in libello saepius citato, fortgesetzte Chymische Erfahrungen und Vortheile, p. 21. sub finem. Specialiora, quae commodiorem usum proprius respiciunt, vel facilitant, iam non recensebo, utpote quae cuius in laboribus satis exercitato permitti debent.

§. XIX.

*Finem facit differendis:*

Atque ab omni occupatione ut me iam sic expedirem, non una tantum coegerit ratio: sub variis enim procellarum in valetudinem, quin belli vicissitudinibus, vela ut passa nimis potius contraham, iam habui ceu noui instituti problema. Sufficiat in limine meminisse illorum. Quid enim commemorem dulcissima exercitata

F 2

menta

menta chemica, quibus mox consilio, mox occasione veluti iubente incumbebam? sapientis esse ratus abstinere. Quid piget fati, quod nostrum non est? Valetudo inueniet viam, nec forte, nisi in viis. Agedum! continebo me; feram patienter; sperabo pie; si Deus concederit, magis mihi satisfaciam alibi. Tibi vero summe Deus T. O. M. debo, ut tantis existerem viribus, quibus Dissertationem meam, qua morte excludi toties verebar, ipse tamen elaborare ac tueri potuerim. Alme Pater! huius vitae seruator et auctor! pergo iam ad aliud vitae stadium. Fac, quaeso, ut *michi* viuere credam, si *TIBI*, si *proximo meo* viuam. Fac Omnipotens! modo ne hanc vitae partem ipse perdam, et ut sanctissime me ad aeternam praepares.

**H**aeret! hiat lingua! Est vocis via peccore clausa;  
 Dic, dic, quae dicam; suggere vota pia.  
 Si quid peccavi, factis peiora fecutus,  
 Ignoscas quaeso; praemia reddo cruci.  
 Da laudes resonare TVAS ex omnibus aegris,  
 Et suadenda doce; quin facienda iube.  
 Sint sanctae voces mihi praeconi moribundo,  
 Ut dein aeternam TE mea lingua canat.  
 Dignus ut euadam, fac CHRISTE! et perfice vota,  
 Aut TE non mittam; aut dic bene, MAGNE DEVS!

CORRIGENDA: p. 12, l. 10, lege: *omnium conueniuisse*. Ib. l. 17. *commoneri licet.*  
 p. 19, l. 12. *michi sumam*. p. 27, l. 9. *chemicus oppugnat*. p. 28, l. 21. *satius esse*; p. 38, l. 4. *et adeo.*

Halle, Med. Diss., 1759/60

ULB Halle  
004 139 615

3







3

DE  
**SPIRITV VINI**  
AC  
**ALTO BOERHAAVII ALEMBICO**

PRO PRIVILEGIIS

ET

**GRADV DOCTORIS MEDICINAE**

SOLEMNI RITV CONSEQUENDIS

PUBLICE DISPVTABIT

**IOANNES ALEXANDER HEVELIUS**  
GEDANENSIS.

HALAE SALANAIE DIE XV. SEPT. A. N. C. MDCC LIX.

LITTERIS CVRTIANIS.